



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quare de latere viri, & non de alia parte coporis formata sit. C

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

prohibitum est peccatum, quia prohibenti est dam-
nosum. Cum vero tangitur, quod nec tangenti obest,
si non prohibetur, nec cui libet si tangatur: & ideo
prohibetur, ut per bonum obediētiam, & malum inobedi-
entiam monstratur. Sicut primus homo à re bona prohibi-
tione penam incurrit: ut non ex re mala, sed ex inobedi-
entia pena esse monstratur, sicut ex obediētia palma.

DE FORMATIONE MULIERIS.

DISTINCT. XVIII.

A

IN eodem quoque paradyso mulierem formavit
Deus de substantia viri: sicut post plantatum pa-
radysum, hominemque in eo positum, & post uni-
uersa animalia ad eum ducta, suisque nominibus de-
signata, subnectit scriptura. Immo Deus soporem
in Adam. Cumque obdormisset, tulit unam de co-
stis eius, & formavit eam in mulierem.

Genes. 2. d

*Quare virum prius & postea de viro mulierem
creavit, non simul virumque.*

B

Hic attendendum est quare non creavit simul vi-
rum, ac mulierem, sicut angelos: sed prius virum, de-
inde mulierem de viro. Ideoque scilicet ut unum esset ge-
neris humani principium, quatenus in hoc & su-
perbia diaboli confunderetur, & hominis humili-
tas Dei similitudine sublimaretur. Diabolus quippe
aliud à Deo principium esse concupierat. Ideoque
ut eius superbia retunderetur, hoc homo in mu-
nere accepit, quod diabolus peruersè rapere voluit, sed
obtinere non potuit. Et per hoc imago Dei in homine
apparuit: quia sicut Deus omnibus rebus existit
principium creationis, ita homo omnibus homi-
nibus principium generationis. Ideo etiam ex uno
homine omnes esse voluit Deus, ut dum cognos-
cerent se ab uno esse omnes, se quasi unum amarent.

Aug. li. 12. de
ciu. Dei c. 26
& ult. in fi-
notom. 5.

*Quare de latere viri, non de alia corporis parte
formata sit.*

Aug. li. 9.

G de Genes. ad

Cum autem his de causis facta sit mulier de viro,
non de qualibet parte corporis viri, sed de latere eius

litar. c. 13.

forma-

*in principio.
G o. ord. ad
illud Gen.
2. Costam
quam tulerat.*

formata est: vt ostenderetur, quia in consortium creabatur dilectionis, ne forte si fuisset de capite facta, viro ad dominationem videretur preferenda: aut si de pedibus, ad seruitutem subiicienda: Quia igitur viro nec domina, nec ancilla parabatur, sed sociam: nec de capite, nec de pedibus, sed de latere fuerat producenda: vt iuxta se ponendam cognosceret, quam de suo latere sumptam didicisset.

Quare dormienti, & non vigilianti costa subtracta est.

*Aug. lib. 9.
c. 13. de Ge-
nesi ad litem.*

Non sine causa dormienti quoque viro potius quam vigilianti detracta est costa, de qua mulier in adiutorium generationis viro est formata: scilicet vt nullam in eo sensisse poenam monstraretur, & diuinam simul potentiam opus mirabile ostenderetur, quod hominis dormientis latus aperuit: nec eum tamen a quiete soporis excitauit. In quo etiam opere sacramentum Christi, & Ecclesie figuratum est. Quia sicut mulier de latere viri dormientis formata est: ita Ecclesia ex sacramentis, quae de latere Christi in cruce dormientis profluxerunt, scilicet, sanguine & aqua, quibus redimimur a poenis atque abluimur a culpis.

*Aug. ad ver-
sum 5. Psal-
56. tom. 8.*

Quod de illa costa sine extrinseco additamento facta fuit per Dei potentiam sicut quinque panes in se multiplicati sunt.

Solet etiam quaeri, Vtrum de illa costa sine adiectione rei extrinsecae facta sit mulier? Quod quibusdam non placuit. Caterum si ad perficiendum corpus mulieris Deus extrinsecum augmentum addidisset, maius illud esset quam ipsa costa. Ideoque potius de illo addito, quam de ipsa costa, mulier facta deberet dici, de qua plures accepisset substantiae partes. Restat ergo, vt de sola ipsius costae substantia sine omni extrinseco additamento, per diuinam potentiam in semetipsa multiplicata mulieris corpus factum dicatur: eo sane miraculo quod postea de quinque